

necnon antiqua, sed falsissima Liberii gesta, tomus A hujus appendix exhibebit.

18. Eidem papæ Isidorus Mercator supposuit Athanasii et Ægyptiorum nomine ex Alexandrina synodo scriptam epistolam, cui æque fictitium adjecit Liberii ipsius ad eisdem rescriptum. Utrumque opus cum cæteris ejus figmentis alii tomo servamus.

Decretorum Liberii adscriptorum Censura.

19. In editionibus conciliorum tria referuntur Liberii nova decreta ex codice vetusto 46, librorum lib. xiii, cap. 9, 10 et 12. Eadem eodem nomine et a Burchardo lib. xiii, c. 15, 14 et 18, necnon ab Ivone p. 4. c. 46, 47 et 50 laudantur.

Ex his primum, quod ita incipit: « In his jejuniorum

diebus nullæ lites, » e-
Capitularis Theodulfi Aurelianensis episcopi capitulum 42.

Alterum, cujus est hoc initium, « Abstinendum est enim in his sacratissimis diebus a conjugibus, » est Capitularis ejusdem sequens capitulum.

Tertium, quod enuntiatur in hunc modum, « Si evenerit fames, inæqualitas aeris, pestilentia vel alia qualiscumque tribulatio, statim jejuniis, elemosynis et obsecrationibus Domini misericordia deprecetur, » expressum ex libro 1 Capitularium, c. 118, ubi legimus: « De hoc si evenerit fames, pestilentia, inæqualitas aeris, vel alia qualiscumque tribulatio, non expectetur edictum nostrum, sed statim deprecetur misericordia Dei. »

OPERA QUÆ EXSTANT.

ORATIO MARCELLINAM S. AMBROSII SOROREM DATO VIRGINITATIS VELO CONSECRANTIS.

(*Ex Biblioth. Galland.*)

I. Bonas, filia, nuptias (1) desiderasti. Vides quantum ad natalem Sponsi tui populus convenerit, et nemo impastus recedit? Hic est qui rogatus ad nuptias aquam in vina convertit (*Joan. ii, 9*). In te quoque sincerum sacramentum conferet virginitalis, quæ prius eras obnoxia vilibus naturæ materialis elementis. Hic est qui quinque panibus et duobus piscibus quatuor millia populi in deserto pavit (*Luc. ix, 15. et seq.*). Plures potuit, si plures jam tunc qui pascerentur, fuissent. Denique ad tuas nuptias plures vocavit: sed jam non panis ex hordeo, sed corpus ministratur e cælo.

II. Hodie quidem secundum hominem homo natus ex virgine, sed ante omnia generatus ex Patre: qui matrem corpore, virtute referat Patrem. Unigenitus in terris, unigenitus in cælo: Deus ex Deo, partus ex virgine: justitia de Patre, virtus de potente, lumen ex lumine: non impar generantis, non potestate discretus: non verbi extensione, aut prolatione confusus, ut cum Patre mixtus, sed ut a Patre generationis jure distinctus sit: ipse est fraternus tuus, sine quo nec cælestia nec marina nec terrestria consistunt. Verbum Patris bonum (*Cant. v, 1*), quod erat, inquit, in principio (*Joan. i, 3 et seq.*): habes ejus æternitatem. Et erat, inquit, apud Patrem: habes indiscretam a Patre, inseparabilemque virtutem. Et Deus erat Verbum: habes ingenitam ejus divinitatem; de compendio enim tibi fides est haurienda.

III. Hunc, filia, dilige, quia bonus est: Nemo enim bonus nisi unus Deus. (*Luc. xviii, 49*). Si enim non dubitatur quia Deus Filius, Deus autem bonus est: utique non dubitatur, quia Deus bonus Filius. Hunc,

inquam, dilige. Ipse est quem Pater genuit ante luciferum (*Psal. cix, 3*), ut æternum: ex utero generavit, ut Filium: ex corde eructavit (*Psal. xlii, 2*), ut Verbum. Ipse est in quo complacuit Pater (*Matth. xvii, 5*): ipse est Patris brachium, quia creator est omnium: Patris sapientia, quia ex Dei ore processit (*i Cor. i, 30*): Patris virtus, quia divinitatis in eo corporaliter habitat plenitudo (*Coloss. ii, 9*). Quem Pater ita diligit, ut in sinu portet, ad dexteram locet; ut sapientiam discas, virtutem noveris.

IV. Si igitur virtus Dei Christus, numquid aliquando sine virtute Deus? Numquid aliquando sine Filio Pater? Si semper utique Pater, utique semper et Filius. Perfecti ergo Patris perfectus est Filius. Nam qui virtuti derogat, ei derogat cujus est virtus. Inæqualitatem non recipit perfecta divinitas. Dilige igitur quem Pater diligit: honorifica, quem honorificat Pater: Qui enim non honorificat Filium, non honorificat Patrem. Et qui negat Filium, nec Patrem habet (*Joan. v, 23*). Hæc quantum ad fidem.

V. Sed interdum etiam cum fides tuta sit, juvenis suspecta est. Modico itaque vino utere, ne infirmitatem corporis augeas (*i Tim. v, 23*), non ut voluptatem excites; incendunt enim pariter duo, vinum et adolescentia. Infrenent etiam teneram ætatem jejunia, et parcimonia cibi retinaculis quibusdam indomitas cohibeat cupiditates. Ratio revocet, mitiget spes, restringat metus. Nam qui moderari nescit cupiditatibus, is sicut equis raptatus indomitis, volvitur, obteritur, laniatur, affligitur.

VI. Quod aliquando juveni ob amorem Dianæ contigisse proditur. Sed poeticis mendaciis coloratur fa-

(1) Huic loco ista præmittit S. Ambrosius, sororem suam alloquens: « Tempus est, soror sancta, ea quæ mecum conferre soles, beatæ memoriæ LIBERII præcepta revolvare; ut quo vir sanctior, eo sermo accedat gratior. Namque is, cum Salvatoris

natali ad apostolum Petrum virginitalis professionem vestis quoque mutatione signares, adstantibus etiam puellis Dei compluribus quæ certarent invicem de tua societate: Bonas, inquit, filia, nuptias desiderasti, etc.

lula, ut Neptunus prælati rivalis dolore incitatus, A equis dicatur furorem immisisse, quo ejus magna potentia prædicetur; quod juvenem non virtute vicit, sed fraude decepit. Unde etiam sacrificium quotannis instaurant Dianæ, ut equus ad ejus immoletur aras. Quam virginem dicunt, quæ (id quod etiam meretrices erubescere solent) amare potuit non amantem. Sed habeant, per me licet, fabulæ suæ auctoritatem; quia licet scelestum utrumque, minus tamen sit juvenem amore adulteræ sic flagrasse ut periret, quam duos, ut ipsi dicunt, deos de adulterio certasse: Jovem autem dolorem scortantis filix in medicum vindicasse adulteri, quod ejus curarit vulnera, qui Dianam in silvis adulteraverit, venatricem sane optimam, non ferarum, sed libidinum; sed ferarum etiam, ut nuda venaretur.

VII. Dent igitur Neptuno dominatum furoris, ut astruant crimen incesti amoris. Dent Dianæ regnum in silvis quas incolebat, ut confirmet adulterium quod gerebat. Dent Æsculapio quod mortuum reformaverit, dummodo profiteantur quod fulminatus ipse non evaserit. Dent etiam Jovi fulmina quæ non habuit, ut testificentur quæ habuit opprobria. Sed a fabulis ad propositum revertamur.

VIII. Escis quoque omnibus quæ gignant membris calorem, parce utendum puto: carnes enim etiam aquilas volantes deponunt. In vobis quoque ales interior illa, de qua legimus: *Renovabitur sicut aquila (1) juvenus tua (Psalm. cii, 5)*, sublime tenens, virgineo præpes volatu superflua carnis nesciat appetentiam. Conviviorum devitandæ celebritates, fugiendæ C salutationes.

IX. Ipsas visitationes in junioribus esse parciores volo, si forte deferendum sit parentibus aut æqualibus. Teritur enim officiis pudor, audacia emicat, risus subrepat, modestia solvitur, dum affectatur urbanitas: interroganti non respondere, infantia: respondere, fabula est. Deesse igitur sermonem virgini, quam superesse malim. Nam si mulieres etiam de rebus divinis in Ecclesia jubentur tacere, domi viros suos interrogare (I Cor. xiv, 34): de virginibus quid cautum putamus, in quibus pudor ornat ætatem, taciturnitas commendat pudorem?

X. An vero mediocre pudoris exemplum est, quod Rebecca cum veniret ad nuptias, et sponsum vidisset, velamen accepit (Gen. xxiv, 65) ne prius videretur, quam jungeretur? Et utique pulchra virgo non decori timuit, sed pudori. Quid Rachel; quemadmodum extorto osculo (2), flevit et genuit (Gen. xxix,

(1) Ita mss. fere ad unum: nonnulli tamen, et editi, *sicut aquilæ*.

(2) Versio Vulg. et aliæ cum textu Hebræo, *osculatus est eam; et elevata voce flevit, et indicavit ei*, etc. E quibus verbis quod hic de fletu pudicum illud osculum consecuto narratur, eleganter quidem et apposite ad materiam, tribuitur Racheli; cum tamen ad Jacob referri oporteat. Et certe utesset aliqua in aliis idiomatis ambiguitas, aperte apud LXX legere est, *καὶ βόησας τῆ ψωνῆ αὐτοῦ, ἔδραυσεν*.

(3) Omnes editi, *depr. omnium, cum gentiles...* deferant. Mss. autem magno consensu nobiscum

A 11 et 12): nec flere desiisset, nisi proximum cognovisset? Ita et pudoris servavit officium, et pietatis non omisit affectum. Quod si viro dicitur: *Virginem ne consideres, ne quando scandalizet te (Ecclesi. ix, 5)* quid dicendum est sacratæ virgini, quæ si amet, animo peccat: si amatur, et facto?

XI. Maxima est virtus tacendi, præsertim in ecclesia. Nulla te divinarum sententia fugiet lectionum, si aurem admoveas, vocem premas. Nullum ex ore verbum quod revocare velis, proferas: sed parcius loquendi fiducia sit. Copiosum quippe in multiloquio peccatum (Prov. x, 19). Homicidæ dictum est: *Peccasti, quiesce (Gen. iv, 7)*, ne peccaret amplius: sed virgini dicendum est: *Quiesce, ne pecces*. Conservabat enim Maria, ut legimus, omnia in corde suo B quæ de Filio dicebantur (Luc. ii, 19): et tu cum legitur aliquod quod Christus aut venturus annuntiat, aut venisse ostenditur; noli fabulando obstrepere, sed mentem admove. An quidquam est indignius, quam oracula divina circumstrepere, ne audiantur, ne credantur, ne revelentur: circumsonare sacramenta confusis vocibus, ut impediatur oratio pro salute de prompta omnium (3)?

XII. Gentiles idolis suis reverentiam tacendo defecerunt. Unde illud exemplum proditur: Alexandro sacrificante Macedonum rege, puerulum barbarum qui ei lumen accenderet, excepisse ignem brachio, atque adusto corpore, mansisse immobilem, nec dolorem prodidisse gemitu, nec tacito pœnam indicasse fletu. Tanta in puero barbaro fuit disciplina reverentis, ut natura vinceretur. Atque ille non deos, qui nulli erant, sed regem timebat. Quid enim timeret eos, quos si idem ignis contigisset, arsisset?

XIII. Quanto melius quod quidam (4) in convivio patris adolescens jubetur, ne meretricios amores indicis insolentibus prodatur? Et tu in mysterio, Dei virgo, gemitus, screatus, tussis, risus abstine. Quod ille in convivio potest, tu in mysterio non potes? Voce virginitas prima signetur, claudat ora pudor, debilitatem excludat religio, instituat consuetudo naturam. Virginem mihi prius gravitas sua nuntiet, pudore obvio, gradu sobrio, vultu modesto; et præsentia integritatis anteeant signa virtutis. Non satis probabilis virgo est, quæ requiritur, cum videtur.

XIV. Frequens sermo est: cum plurima ranarum murmura religiosæ auribus plebis obstrepent, sacerdotem Dei præcepisse ut conticescerent, ac reverentiam sacræ deferrent orationi; tunc subito circumfusos strepitus quievissent. Silent igitur paludes,

faciunt. Porro subjectam ephēbi hujusce barbari historiam memorat V. Maximus lib. iii, cap. 3 de Patientia.

(4) Editi, *Quid quod quidam*. Et infra, *in ministerio... tusses, risus abstine... in ministerio Dei non potes? Vocis, etc.* Mss. vero ut in textu, nisi quod aliqui pro *mysterio* legunt cum editis *ministerio*. Cæterum hic indicatur Terentianæ fabulæ qua inscribitur *Heautontimorumenos*, Actus ii, ubi sub finem scenæ iii, admonetur Clitipho adolescens, ut præsentem patrem modestiam in convivio retineat: quoin loco ea verba leguntur: *Gemitus, screatus, tussis, risus abstine*.

homines non silebunt? Et irrationabile animal per A nesciant mentium religioni, quod deferunt aurium
reverentiam recognoscit, quod per naturam ignorat : voluptati (1)?
hominum tanta est immodestia, ut plerique deferre

(1) Hujusmodi Liberiam orationem ita concludit S. Doctor : *Hæc tecum sanctæ memoriæ LIBERIUS.*

EPISTOLÆ ET DICTA.

(Const. col. 421-464.)

EPISTOLA (1)

LIBERII PAPÆ AD OSIUM EPISCOPUM CORDUBENSEM.

(Anno 353 exeunte, aut 354 incunte.)

De Vincentii episcopi Capuani legatione et lapsu.

Quia in nullo conscientiam tuam debeo præterire : B
multi ex Italia episcopi convenerunt, qui mecum
religiosissimum imperatorem Constantium fuerant
deprecati, ut juberet, sicut ipsi placuerat dudum,
concilium ad Aquileiam congregari. Vincentium
Capuensem cum Marcello æque ex Campania epis-
copo legationem nostram suscepisse sanctitati tuæ
insinuo. De quo cum multa sperarem, quod et cau-
sam optime retineret, et iudex in eadem causa
cum sanctitate tua frequenter resedisset; credide-
ram (2) integrum Dei Evangelium sua legatione posse
servari. Non tantum nihil impetravit, sed et ipse in
illam ductus est (3) simulationem. Post cujus factum
duplici mœrore confectus, mihi moriendum magis pro
Deo decrevi, ne viderer novissimus delator (4), aut sen-
tentis contra Evangelium accommodare consensum.

EPISTOLA (5).

LIBERII PAPÆ AD CÆCILIANUM SPOLETINUM EPISCOPUM.

(Eodem tempore.)

De eadem re.

Nolo te factum Vincentii ab intentu boni operis re-
vocet, frater carissime.

EPISTOLA (6)

LIBERII PAPÆ AD EUSEBIUM VERCELLENSEM EPISCOPUM.

(Eodem tempore.)

De legatione Luciferi Calaritani episcopi ad Constan-

(1) Exstat inter fragmenta Hilarii fragm. vi n. 2,
necnon apud Baronium ad ann. 353, n. 9, edita. In-
tegrum non esse, prima ejus verba apud Hilarium,
Inter hæc, persuadent. Scripta est post recentem Vin-
centii in arelatensi synodo lapsum; adeoque circa
exitum anni 353 aut circa initium anni 354.

(2) Apud Baron. desideratur integrum. In duobus D
mss. habetur integrum *ius Evangeliorum*.

(3) In illa simulatione eum ad id saltem tempus,
quo Liberius et Osius in exilium ejeti sunt, perseve-
rasse colligitur ex verbis Athanasii apolog. ad Con-
stant. n. 27. Postea tamen a Damaso e synodo Ro-
mana ad episcopos Illyrici scribente laudari meruit,
ut qui tot annis sacerdotium illibate servasset. Notan-
dem est Athanasium loco mox citato paucis perstrin-
gere, quæ tum Arelatense, tum Mediolanense con-
cilium consecuta sunt; adeoque licet de Vincentii
simulatione loquens, Fortunatianum Aquileiensem,
Hieremium Thessalonicensem, omnesque occidentales
episcopos ei adjungat, minime inde sequi, ut hi omnes
Arelate lapsi sint; sicut nec ex eo quod ibidem
simul Liberii, Osii, Paulini, Dionysii, Eusebii, Luci-
feri, etc. exilia commemorat, consequens est ut quia
Paulinus ab Arelatensi synodo in exilium pulsus

tium imp. ut concilium, quo res Ecclesiæ componan-
tur, ab eo postulet. Ut Eusebius ipse illius adjutor
sit quo petitionem impetret.

Liberius (7) episcopus dilectissimo fratri Eusebio.

I. Me, frater carissime, ad solatium vitæ præsen-
tis erigit invicta fides tua, qua secutus Evangeliorum
præcepta, nullo genere a consortio sedis apostolicæ
discrepasti: quod credo non sine Dei impulsu, qui
digno (F. dignos) sibi in sacerdotio detinet, benevo-
lencia complexse. Cum igitur post legationem Vin-
centius in illam ductus (8) est simulationem, reliqui
per Italiam episcopi publica conventionem coacti fu-
issent sententiis Orientalium obedire; Deo procurante,
frater et coepiscopus noster Lucifer de Sardinia su-
pervenit, qui cum latebras causæ interioris cognov-
isset, et pervenisset ad ejus conscientiam, sub
occasione nominis Athanasii hæreticos hæc velle
tentare; pro devotione fidei suæ subire voluit justum
laborem, et ad Comitatum religiosi principis per-
gere: ut tandem exposito ordine totius causæ, impe-
traret ut omnia, quæ in medium venerunt, in cætu
possent sacerdotum Dei tractari.

II. Itaque quia scio sanctum fidei tuæ calorem cum
ejus animo concordare, prudentiam tuam peto, ut si
procurante Deo habuerit te præsentem, per quos-
cumque potueris, sollicitè excubare contendas, ut
possitis universa, quæ fides catholica exigit, clemen-
tissimo imperatori insinuare: ut tandem aliquando
deposita animi indignatione, faciat quod et quieti

est, cæterorum exilium non sit serius disserendum.

(4) Apud Baron. *delator existere: nam videtur sen-
tentis accommodasse consensum.*

(5) Hanc epistolæ tenuem particulam nobis trans-
misit Hilarius fragmento vi, n. 2. Epistola autem eo
ipso tempore, quo superior, scripta est.

(6) A Baronio ad annum 353, n. 20, et a Stephano
Ferrerio Vercellensi episcopo ex ipsius Vercellensis
ecclesiæ archivo exscripta atque edita est. In hac ut
in superioribus Liberius Vincentii simulationem de-
flet; at solatii, quod nunc ex Luciferi Calaritani epi-
scopi magnanimitate percepisse se memorat, in su-
perioribus minime meminit: adeoque hanc illis ali-
quanto posterius scriptam esse liquet. Ad annum 354
videtur referenda.

(7) Ita Ferrerius. At Baron. *Liberius fratri Eusebio.*

(8) Orationis integritas postulat, *ductus esset simu-
lationem et reliqui*. Ad hanc violentiam episcopis Ita-
lis factam referre licet quod Athanasius apolog. ad
Constant. n. 29: *Occidentales episcopos vi non minima,
imo violentia maxima gravibusque injuriis affectos esse,
donec pollicerentur se in posterum nobiscum non com-
municaturos*. Communionem igitur Athanasio negare,
hoc erat Orientalium placitis obedire.